

rerum claritati, tam benignum testimonium miscuit. Archilochi poetae interfectores Apollo arguit Delphis. Sophoclem tragici cothurni principem defunctum sepeliri Liber pater iussit, obsidentibus moenia Lacedaemonijs: Lysandro eorum rege in quiete saepius admonito, ut pateretur humari delicias suas. Requisiuit rex quis supremum diem Athenis obiisset: nec difficulter ex ijs * quem deus significasset, intellexit: pacemq; funeri dedit.

De Platone, Ennio, Virgilio, M. Varrone, & M. Cicerone. CAP. XXX.

Platoni sapientiae antistiti Dionysius tyrannus, alias sententiae superbiaq; natus, vittatam nauem misit obuia: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. Viginti talentis vna oratione Isocrates reddidit. Aeschines Atheniensis summus orator, cum accusatione qua fuerat usus, * Rhodi legisset, legit & defensionem Demosthenis, ob quam in illud depulsus fuerat exiliu: mirantibusq; tu magis fuisse miraturos dixit, si ipsum orantem audiissent: in calamitate testis ingens factus inimici. Thucydidem imperatorem Athenienses in exilium egere, rerum conditorum reuocauere, eloquentiam mirati, cuius virtute damnauerant. Magnam & Menandro in comico socco testimonium regum Aegypti & Macedoniae contigit, classe & per legatos petito: maius ex ipso, regiae fortunae praelata literarum conscientia. Perhibuere & Romani proceres etiam exteris testimonia. Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonij sapientiae professione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit: & fascis licetorios ianuae submisit is, cui se oriens occidensque submiserat. Cato Censorius, in illa nobili triumphantis procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit dimittendos: quoniam illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset. Quanta morum commutatio? Ille semper alioquin vniuersos ex Italia pellendos censuit Graecos: at pronepos eius Vticensis Cato, vnum ex tribunatu militum philosophum, alterum ex Cypria legatione deportauit. Eandemq; linguam ex duobus Catonibus, in illo abiectis, in hoc importasse, memorabile est. Sed & nostrorum gloriam per censeamus. Prior Africanus Q. Ennij statuum sepulchro suo imponi iussit: clarumq; illud nomen, imo vero spoliolum ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum poetae titulo legi. Diuus Augustus carmina Virgilij cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit: maiusq; ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua carmina probauisset. M. Varronis in bibliotheca, quae prima in orbe ab Asinio Pollione de manubijs publicata Romae est, vnius viuentis posita imago est: haud minore (ut equidem reor) gloria, principe oratore & ciue, ex illa ingeniorum quae tunc fuit, multitudine, vni hanc coronam dante, quae cum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello naualem dedit. Innumerabilia deinde sunt exempla Romana, si persequi libeat: cum plures vna gens in

quocunq; genere eximios tulerit, quam caetera terra. Sed quo te M. Tulli piaculo teceat? quoque maxime excellentem insigni praedicem? quo potius quam vniuersi populi illius gentis amplissimi testimonio, & tota vita tua * consulatus tantum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicauerunt tribus: te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignouerunt, notatasq; se discrimine sedis aequo animo tulerunt: te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fuit ingenium: tu M. Antonium proscripisti. Salue primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum, linguaeque lauream merite, & facundiae Latinarumque literarum parens: atque (ut dictator Caesar hostis quondam tuus, de te scripsit) omnium triumphorum lauream ad apte maiorem, quanto plus est, ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quam imperij.

Demorum maiestate. CAP. XXXI.

Reliquis animi bonis, praestitere caeteros mortales sapientia, ob id Cati, Corculi, apud Romanos cognominati. Apud Graecos Socrates, oraculo Apollinis Pythij praelatus cunctis.

De autoritate. CAP. XXXII.

Rursus mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedaemonio, tria praecipua eius Delphis consecrando aureis literis, quae sunt haec: Nolle se quicquam; & Nihil nimium cupere: Comitumq; aeris alieni atq; litis, esse miseriam. Quin et funus eius, cum victore filio Olympiae expirasset gaudio, tota Gracia prosecuta est.

De diuinitate. CAP. XXXIII.

Diuinitas, & quaedam caelium societas nobilissima, ex saeminis in Sibylla fuit: ex viris in Melampode apud Graecos, apud Romanos in Marcio.

De Nafica. CAP. XXXIII.

Vir optimus semel a condito auro iudicatus est Scipio Nafica, a iurato senatu. Idem in toga candida bis repulsa notatus a populo. In summa, ei in patria mori non licuit: non Hercule magis, quam extra vincula illi sapientissimo ab Apolline iudicato Socrati.

De pudicitia. CAP. XXXV.

Pudicissima femina semel matronarum sententia iudicata est Sulpitia Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci: electa ex centum praecipuis, quae simulacrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Iterum religionis experimento Claudia, inducitur Romam deorum matre.

De pietate. CAP. XXXVI.

Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extiterunt, sed Romae vnum, cui comparari cuncta non queant. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera supplicij causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum, a ianitore semper excussa ne quid inferret cibi, deprehensa est verberibus suis alens eam. Quo miraculo, matris salus * donata pietati est, ambaeque perpetuis alimentis. Et locus ille eidem consecratus est dea, C. Quintio, M. Attilio COS. templo pietatis extructo in illius

* consulatus
tanti operibus electis

* donata filiae pietati